

ctionem negabat. Id quod ex malè intellecto Pauli loco, qui est Ephes. 6. versu 12. & Rom. 8. versu 38. & deprauata iam Baptismi & regenerationis natura ortum est. Ex eodem fonte orta hæresis Hymenæi, de qua Paulus 2. Timoth. 2. versu 18. & fuit sub Nerone circa annum à passo Christo 34. Ita bonus discipulus magna ambitione insatiabili- que auaritia ad se honores eos rapuit, quos magistro viderat attributos, illiúsque nomen prorsus obscurare conatus est.

CAP. III.

Saturniniani cur dicti. Erroris autem capita
duo præcipua.

Saturniniani à quodam ¹ Saturnino, qui turpitudinem Simonianam in Syria confirmasse ² perhibetur: qui etiam mundum solos Angelos septem præter conscientiam Dei Patris se cisse dicebat.

¹ Saturnino.) Dubitari non potest Saturninum & Basilidem eius socium tempore fuisse Nicolaitis hæreticis, Cerinthianis & Ebionitis, posteriores, quanquam tamen hîc priore loco recensentur. Sed non vnus modò August. imò omnes tum veteres Ecclesiastici patres, tum historici Ecclesiasticarum rerum, hoc loco cõstituunt, vt seriem Simonianæ hæreseos prosequatur & faciliùs ostendant, quòd à Simone primùm orta, per hos continuata est & propagata. A Menandro enim, vt inquit Eusebius lib. 4. cap. 7. iam cœpit fieri biceps
Simo-